




9C 19

7
L. G. 1, br.



MUNICH



L. 193,



AVXILIANTE DEO!

NOVEM

OPTIMOS IUVENES

ABITVM EX

MARTISBURGENSI GYMNASIO

STVDIIS SCHOLASTICIS

BONA CVM LAVDE PERACTIS,

AD

ACADEMIAM LIPSIENSEM

PARANTES,

ET VALE SVVM

D. XXIV. MAII A. P. C. N. MDCCCXVIII.

DICTVROS,

VT BENEVOLE AVDIANT,

PATRONOS, FAVTORES, AMICOS,

QVA FAS EST VENERATIONE ROGAT,

ET


DE DISSVADENDA STVDIOSAE IMPRIMIS IVENTVTI

SVSPECTORVM LIBRORVM LECTIONE, BREVIOR PRAEFATVS

HVMANISSIME INVITAT,

M. BALTHASAR HOFFMANNVS,

RECTOR.



ADIVM EX

MARTIENSI GYMNASIO

STADII SCHOLASTICI



liquam omnino, eamque haud exiguam, seculi nostri felicitatem, in eo ponendam esse, quod, inuenta illa diuina arte typographica, qui honor inuentionis nostris Germanis proprius est, tanta librorum typis publicis impressorum prosteret copia, vt omnem fere excedere numerum videatur, nemo est, qui dubitat. In omni enim scientiarum, disciplinarum et linguarum genere eam scriptorum voluminumque offendimus abundantiam, quae et litteratis et illitteratis libellos suis vsibus comparandi opportunissimam offert occasionem. Frequentes quaeſo officinas librarías; perlustrés publicas patiter ac priuatas bibliothecas, illa et mentis et oculorum delectamenta; obſtupeſces miraberis que insignem tot operum collectorum apparatus. Inſtrumenta vtique admodum neceſſaria ſunt libri, non iis ſolum, quibus colendi litterarum ſtudia animus eſt; ſed viris etiam eruditione iam praecclaris; quibus non ſufficit, ſuis ſolis inhaeſiſſe meditationibus, verum etiam volupe eſt, aliorum ingeniorum placita perluſtraſſe, doctrinarumque cognouiſſe rationem. Non enim putamus, quempiam adeo fore ſuſſenum, vt rerum duntaxat ſuarum, cum reliquorum contemptu, ſit admirator, ſibi que ipſe applaudat

Quemadmodum autem, in tanta librorum multitudine, magna eorum eſt differentia: ita et lectorum, quibus liceat, quibus Corinthum adire non liceat, probe habenda eſt ratio. Ad libros quod attinet, quod in bonos vel malos, in viles vel inutiles diſpartiri ſoleant, reapse in aprico eſt. Ipſa iam rei natura nos admonet, vt, ſicuti omni malo abſtinueſſe decet, ita et librorum malorum familiaritatem fugiamus. Quamquam ſententiam non ignoramus, quam Iunior Plinius de ſuo auunculo, ſeniore Plinio, his verbis refert: *Dicere, inquit, ſolebat, nullum eſſe librum tam malum, et non aliqua parte prodeſſe.* Hoc Plinii Veronenſis de malis libris iudicium facile concedendum, ſi viri, qui acri ingenio, incredibili ſtudio, et ſumma vigilantia erat, vt ab ipſo Plinio Nouocomenſi deſcribitur, eruditionem, aetatem, et, quo viuebat, ſaeculum, gentilemque eius religionem conſideres. Longe autem aliter nobis in coetu chriſtiani orbis degentibus de malis libris ſtatuendum; quorum temporibus tanta inſectorum futillumque librorum farrago in lucem prodiit, vt rempublicam chriſtianam maximo opere onerare, quin tantum non obruere, et, ſi fieri poſſit, peſſundare videatur. Tantum autem abeſt, vt ipſa eiſmodi Auctorum, vel libellorum indicem nominata, et indicem quaſi expurgatorium, more pontificiorum, compilemus, vt generatim potius ea ſcripta atro notemus lapillo, librosque et malos et inutiles eos appellemus, qui atheiſtica, obſcoena, amatoria, magica, (non naturalem magiam, ſed quam occultam nuncupant, intelligimus) et omnia ea continent, quae ad atheiſmum, naturalium, ſcepticiſmum et indifferentiſmum religionis, verbo: impia quaeque, a vero Deo, eius cultu, a vera religione, a ſincera pietate, a virtutibus bonisque moribus animum quae abducunt, aut abducere queunt.

Iam

Iam nunc itaque quaesitio oritur: Vtrum aditus ad huiusmodi opusculorum lectionem cuilibet indiscriminatim sit permittendus? de quo equidem valde dubito. Viri certe et limato iudicio, et prudentia et grauitate pollentes, ipsimet videbunt, quae lectu digna, quae indigna; quorum pars magna in eo dignitatis constituta est loco, vt muneris sui postulet ratio, contra religionis sanctissimae impugnatores fringere calammum, ac Dei et Virtutis causam strenue defendere. Ex inferis enim malignus hac nostra inprimis aetate spiritus exiisse videtur, qui non paucorum adeo fascino ait ingenium, vt christianae religioni vel errores obtrudere, vel vafre cauillando illudere haud erubescant. Quorum fraudibus et vesanae impudentiae vt occurratur, mentesque imbecilliores in veritate muniantur, maxime opus est. Equis itaque seueris veritatis propugnatoribus, et oppugnatoribus impietatis succenseat tam dolosorum et ad seducendum callide confarcinatorum scriptorum euolutionem, refutandique studium; quin etiam eorundem vigilantiae ac dexteritati infinitas agamus, et habeamus gratias? At enim vero vtriusque sexus innumeri sunt, qui nondum ad eam iudicii maturitatem peruenerunt; multi etiam, qui ob imbecillitatem intellectus nunquam eo peruenturi sunt, vt infidiosa illa scripta a bonis genuinisque rite discernere valeant, nisi a prudentioribus et rerum magis peritis admoneantur, et a cognitione talium deliramentorum caute arceantur? Id quod eo magis necesse videtur, cum natura ita comparatum est, vt plurima pars mortalium multa animi cupiditate ruat in vetitum, et licet meliora videat, deteriora tamen lubens sequatur; nec prouidus attendat, quot et quanta malorum sint incitamenta.

Instituti nostri iam non est, ad quorumcunque mores hac in re nostrum intendere oculum; ad quos corrigendos emendandosque vix integra volumina sufficiant, nedum curta plagula. Praecipua hic nobis res est cum studiosa iuuentute, singularim cum nostra. Hi iuuenes nostrae curae demandati sunt ac disciplinae, vt scientiis bonisque artibus erudiantur, praesertim etiam, vt in pietatis virtutumque tramite sedulo contineantur; quorum insignior pars proximis diebus Doctores academicos est aditura. Ad vos igitur, o Charissimi, abeuntes aequae ac remanentes nostra iam dirigit oratio. Vestrae pietatis est, serio recordari, quanta sit Dei T. O. T. M. beneficentia, qui vitam vobis et vires concessit, vt litterarum studia auspicio et amplecti, et profequi hucusque licuerit. Veneramini tanti numinis omnem vbique locorum praesentiam, fideliter edocti, timorem Domini omnis sapientiae esse initium; fontemque cuiuscunque et praesentis et futurae felicitatis. Praemunite piis semper precibus vestra pectora, firma spe et fiducia freti, faulsum vos in studiorum vestrorum studio porro progressum esse facturos. In optimo iuuentutis flore constituti, ne obliuiscamini, hanc iuuenilem aetatem praesaepe lubricam, et ad praua quaeque arripienda, imitanda et exequenda admodum esse pronam. Seductores adsumt, praesertim tales, qui fortiorum Spirituum superbere volunt nomine, qui sermonibus illecebrosis, minus castis, irreligiosisque multorum malorum incautus subternunt irritamenta. Dolendum inprimis est, quod, si vnquam alias, hoc certe seculo, in lucem prodiiisse, et quotidie adhuc prodire libellos, aeternis profecto tenebris dignos; quorum auctores Christianam confessionem, ipsamque doctrinam coelitus reuelatam terribis contumaciis proscindunt, virtutum proborumque morum splendorem obfuscant, omniaque sublimioris salutis remedia susque deque habere haud abhorrent. Quorum nonnullorum proterua id adeo effectit, vt ingentes Principes passim Magistratusque iusto zelo accensi, probrosa eiusmodi scripta carnificis manu tradi Vulcano, cremarique iusserint. Tamen non distendum, quod tales chartae, ineptiarum scurrilitatumque plene eo magis per flammam splendeant innotescantque, ita quidem, vt maiorem videndi legendique illas apud omnes excitent cupiditatem. Certo itaque certius est, istiusmodi tam mali commatis libros, vt bono cuius sunt scandalo, ita Adolescentum meram esse pestem, vtpote qui nondum satis, quid aera lupinis distent, perpendunt. Fauent videlicet voluptati aliusque vitii; nocent, pietati, quam inopinanter excutiunt. Scrupulos aliis mouent, quibus remouendis vires deinceps impares sunt. Sauciam relinquunt conscientiam, cui medendi malo haud parum difficultatis saepe numero enascitur. Ridiculum foret, praetextere velle aliquam

aliquam filii elegantiam, aut artem conuclandi nequitiam. Meliora non defunt scripta, quae cum fructu legas et admireris. Animi potius periculum considera, uenenumque in schedis illis latens, ut ne inficiaris, consulte fugito. Talia enim ignorare, quam scire praefat. Verbo: Deum *ne* offendas, religiose caue; quem, si amas, tutus eris. Pauca haec sunt, de quibus monendi uidebamini, dilecti filii. Prohibendi haec in re ius nostra non est in potestate: Dissuadere tamen mala, et bona suadere et licet et decet.

Tribus denique uerbis significandum, quod ualidicentium nouem sint numero, quorum nomina alterfici signo notauimus.

SERIES PERORANTIVM.

- Fridericus à Zinck.* Equ. Thuring. De omnium rerum mutabilitate.
 * *Christian. Bonnitz.* Marckranfad. Magnitudo Dei ex opere creationis.
 * *Melch. Balthaf. Caspar Segnitz.* Martisb. Encomium eruditionis.
Christian. Wilhelm. à Zehmen. Equ. Miin. Veris amoenitas.
Adam Erdm. Rollfufs. Martisb. Aestatis iucunditas.
 * *Io. Christoph. Steinbrück.* Meufchav. Humillima quaeque tutissima.
 * *Christian. Gottlob Hempel.* Horburgenf. De terrae motu.
 * *Io. Auguf. Pontel.* Martisb. Mundi redemptor triumphans.
 * *Io. Frideric. Sander.* Martisb. De prouidentia Dei.
 * *Gottlieb Burkhart.* Daspigenf. Litteratus religiosus.
Io. Christian. Perltz. Martisb. Pax Musis iucunda.
 * *Christian. Andr. Knorr.* Martisb. Oratio Iosephi ad fratres suos.
 * *Samuel Berthold.* Martisb. Amicitiae uinculum uirtus.

- Carol. Gottlob Roeffig.* Pegav.
Io. Gottfr. Lüddecke. Martisb.
Frider. Augustus Klinghardt. Martisb.
Christian David Oelfner. Martisb.
Io. Christoph. Frider. Schroerer. Koetschau.
Hieronym. Frider. Segnitz. Martisb.
Io. Augustus Berbig. Martisb.
Theodor. Balthaf. Hoffmann. Martisb.

Differunt de Iasonis expeditione argonautica; de usu typographiae. Apprecantur summis Patriae Principibus fausta quaeque. Discendentibus felicem gratulantur abitum.

Insigniter autem gaudebimus, nostroque gratulabimur Gymnasio, si nobis tam felicibus esse contigerit, ut uestra, *Maecenates, Patroni*, Fautores, Amici, honorifica praesentia auditorium nostrum illustraretur; qua honoris ac beneuolentiae significatione nihil splendidius, nihil magis laetandum nobis accidere posse arbitramur. Excitabitur uestra frequentia et attentione non tantum perorantium in dicendo alacritas; sed hanc etiam gratiam atque benignitatem nunquam non mente gratissima praedicabimus. Quod ut ex voto consequamur, ea, qua par est ueneratione ac humanitate iterum iterumque rogamus, obtestamur. Dab. Martisburgi, d. XXIV. Maji. A. P. C. N. clo Iocce LXVIII.

LIPSIÆ,

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

2



57

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, possibly German, covering most of the page.]







9 8 19

9 C 19

1078



9C 19

AUGSPURG BEY JOHANN

AVXILIANTE DEO!
 NOVEM
 OPTIMOS IVVENES
 ABITVM EX
 MARTISBVRGENSI GYMNASIO

STVDIIS SCHOLASTICIS

CVM LAVDE PERACTIS,

AD

MIAM LIPSIENSEM

PARANTES,

ET VALE SVVM

M. A. P. C. N. MDCCCLXVIII.

DICTVROS,

T BENEVOLE AVDIANT,

S, FAVTORES, AMICOS,

FAS EST VENERATIONE ROGAT,

ET

ANDA STUDIOSAE IMPRIMIS IVVENTVTI

LIBRORVM LECTIONE, BREVITER PRAEFATVS

HVMANISSIME INVITAT,

HASAR HOFFMANNVS,

RECTOR.

